



433
BIBLIOTEKA
Zakl. Nar. im. Ossolińskich

XVII

346



433



33
D rebus gestis REGIIS!
Liber secundus secundus

INVESTITVRAM FEUDI DUCATUS

PRUSSIAE
A SACRA REGIA MAJESTATE
Regnum Poloniæ & Sveciæ
SIGISMUNDO

III

SERENISSIMO PRINCIPI S. R. I.
Archicamerario & Electori
Brandenburgico JOANNI
SIGISMUNDO

Et ILL: mis REV: mis Principibus fratrib: mis
Dn. IOANNI GEORGIO Ducis Silesiæ legensis
dorffianæ, Dn. ERNESTO Ordinis Ioannitarum per Mars
chiam, Saxoniam, Vandaliam Magistro, Dn. CHRISTIANO
WILHELMO ArchiEpiscopo Magdeburgensi, Primate
Germaniæ, Eorumq; legitimis Masculis Hæredibus,

Sub Comitiorum REGNI tempore
solemniter Varsaviæ collatam

ILLVSTRANS

Adnotatam calamo

SECRETARIU REGII

FELICIS FIDLERI

Nobilis Fruteni.




83433

XVII-346-

XVII-376 II

S E R E N I S S I M O
et
P O T E N T I S S I M O
A V G U S T I S S : m i R O M : I M P E R I I
A R C H I C A M E R A R I O E T E L E C T O R I ,
P R I N C I P I M A R C H I O N I
B R A N D E B U R G I C O

J O A N N I S I G I S M V N D O
P R U S S I A E D U C I
J U L I A E
C L I V I A E
M O N T I U M , &c.
P R I N C I P I & D O M I N O
D o m i n o C l e m e n t i s -
f i m o .



MAGNOS PRINCIPES
magna præstare, verè dictum,
Serenissime Princeps ELECTOR,
& Domine, Domine clementif-
sime: Quod verò maximum, nec
summæ rerum potestati datum. Quid
illud? Ut illustres eorum res gestas, &
Nomina sacra, ab immortalitate,
MARTE Armigerō tueantur. Quæ ve-
rò PRINCIPIIS famā veræ immortalitatis
splendore regenerant, rerum licet vi-
cissitudo, umbrosa molem tumba clau-
dat: Attamen, inermes, exiguæ, ple-
rumq; contemptæ, hæc ardua præstant,
LITERÆ. Encomia enim Virtutis
& gestarum, REGES, PRINCIPES: nœ
ceu præsentes, consultantes, bellantes,
victoriis triumphantes, in Theatro uni-
versi orbis, longa post Fata ostendunt.
Græcum

Græcum militem Punicum exemplum,
omnium censuræ in medium sisto.
EVDEMONIDAS, Spartiarum Im-
perator, MARTI naturâ dœvotus, cùm
ante hostium conflictus, militem, armis
instructum, DIIS, Lycurgi legibus e-
doctum, immolare, imprimis qui MU-
SIS consecrata credebantur, toties cer-
neret, Resciens, cur tot victimæ aram
ante Dearum, tanta devotione cœ-
derentur, quibus cum MARTE DEO
nil commune? Milite consulto, hanc
esse causam erudiebatur **Vt præ-**
clara gesta, præclaris encomiis,
ab immortalitate vindicaren-
tur. Et, quòd res PRINCIPUM,
MARTE Duce eximiæ gerantur, &
quòd à MUSIS, Dearum inventione,
LITERIS, æternæ gloriæ fama, Magnæ
res gestæ conderentur, & condeco-
rentur.

Quæ à SERENISSIMA CELSI-
TUDINE VESTRA, brevibus annis
Arte & Marte, armorum & sapientiæ
viribus, summâ prosperitate feliciter
acta, maximè merentur, ut Græcorum
militum Præconis excellentia, nulla
vetustate depasta, solenni victimarum
gloria, ab injuria oblivionis eruta, præ-
claris encomiis per orbem illustrentur.
Meretur virtus, humanitas, & benigni-
tas Principis. Et licet nuperrimè in
Regno Poloniæ, antea quæ in Romano
Imperio gloriösè gesta, vicinis quoq;
Regionibus, fama licet omnium aures
jam personaverit: Quid verò est tamen
præclarè actum, quod temporum vetu-
state obliuione non deleatur? Inter cæ-
tera quæ belli pacisq; tempore (cū Deo
loquar) SERENITATI VESTRÆ
hactenus pro voto accreverunt, non
exili gloriæ palma condecorandā cen-
sentur,

sentur, Quæ SACRA MAJESTAS
REGIA, magna cum dignitate, hono-
re, & blandore, INVESTITURA
FEUDI terrarum Prussiæ conferenda,
liberaliter & benignè præsttit. Digna
sunt igitur. ut æterna memoria à poste-
ris concelebrentur.

REGIA itaq; hac FEUDI solenni-
tate observata, ad SERENISSIMAM
CELSITVDINEM VESTRAM, re-
verenter & submissè venio. Quod mi-
lites armis, hoc ego literis, quod illi
viribus, hoc ingenii laboribus præsta-
re audebam. Quo fine? Ut anti-
quam Imperatorum Romanorum, Po-
loniæ Regum, Electorum & Principum
Imperi, amicitiam, concordiam & affi-
nitatem imò consanguinitatem osten-
derem. Ut JAGIELLONICVM
quoque Sanguinem cum Domo ELE-
CTORALI Brandenburgica conjun-
ctam illustrarem.

Quò

Quò etiam, ceu cristallino Lumi-
ne, semet ipsam SERENITATEM
VESTRAM, suaque gesta, lustranda
offerrem.

Hoc etiam fine (longè omni re-
mota laude) Majorum me instigabant
fidei, servitiorumque exempla, Qui
Divi Rom: Imp: CAROLI QVINTI
gesta maxima, feliciori vena (gratum
CÆSARI opus) congesta, humilimè
præsentarunt Quanta similiter
fide, Principibus Marchionibus Bran-
deburgicis, antecessoribus, & moder-
no Illustriss: Principi ægro ad extre-
mam usque senectam vigilantiæ offi-
ciorum, præsto fuerint, sacra horum
Diplomata honorificè testantur.

Cùm grande sit Principum
Exemplar SERENITAS VESTRA,
nil à Majorum instituto alienum me
facturum arbitratus, si solennissimum
hunc

hunc FEUDI Actum, Singularem
Regiarum gestarum libellum,
parvulum laboris & ingenii foetum
SERENITATI VESTRÆ & Patriæ
charissimæ subnixè parturirem, eiusq;
Titulo Amplissimo consecrarem.
Libellus enim sine Patrono, ut filius
ignoto ambulat Patre. Submissè
rogando, ut Principum & Antecesso-
rum, simili, si non majore clementia,
& gratia, me, opellamque meam, intu-
eri dignetur, cuius gratosam affectio-
nem, & liberalitatem grata mente re-
colo.

SERENISSIMÆ CELSITU-
DINI VESTRÆ, devotè, submisséq;
precibus exopto, ut magni Principa-
tus hæreditarii, similiter amplissimus
ille PRUSSIÆ DUCATUS, tanto
splendore à S. M. REGIA in facie
universi Regni ad manus traditus,

B

Optimo

Optimo PRINCIPI, Optimo tranquillitatis statu, diutissimè accrescat, Utq; DIAGORÆ filiorum prosperitate multum consoletur. Seriverò NEPOTES, ABAVI sui, Dignitatis, & potentia sede, ut eadem, & ampliori fortuna illustrentur.

SERENISS:^{ma} CELS:ⁿⁱ VESTRÆ

Scrivitor humilimus

Felix Fidlerus
Secret: Reg:

JAGIELLO VLADISLAVS,
AD REGES POLONIAE
Successores.

REGIAS inter res gestas, FEUDI
ELECTORALIS solennitatem,
sub hoc comitiorum tem-
pore celebratam, enumera-
re, Regius verè est actus.

REGEM MAGNUM,
SIGISMUNDUM III, abne-
potem nostrum, in tantis
Regni Comitiis, magno ho-
nore Regnum olim nostrum, non sine
emolumento illustrare: Magnā quoq;
PRUSSIÆ dignitatem, commodumq;
conferre publico congaudere aspectu
omnibus conceditur. Simile quid,
à Regiminis nostri auspciiis, quin imò,

à Regni fundatione, tanta Majestate
celebratum, haud affirmare audeo.

Ideoq; tædio me minus afficiet,
solennissimum, rarissimumque hunc
Feudi actum dignis circumstantiis ex-
ornare, ut exteris, posterisq; rectius ac
verius ea innotescant. Et superbam
hanc ostendere pompam magis quoq;
placebit, siquidē ab imperii nostri ini-
tiis, Regni Majestatis splendor pluri-
mum ABNEPOTI accreverit. Res
enim gestæ verbis literisvè conceptæ,
famam magnorum Principum nun-
quam emori patiuntur. Nisi enim
acta celeberrima, literis, ceu illustri
quodam monumento, æternitati con-
secrata extitissent, idem tumulus, qui
corpus contexerat, gloriam, & nomi-
nis præclari famam, simul obruisset.

ALEXANDER ille Macedo Ma-
gnus, ACHILLEM, nullam ob rem a-
liam fortunatum extulit, licet naturæ,

&

& fortunæ dotibus egregiis, multum
illustratus, nisi quod HOMERUM, vir-
tutis rerumq; gestarum Præconem, &
oblivionis vindicem viderit.

Et nobis licebit, ABNEPOTIS
nostrí, inter cætera præclarè acta, so-
lennitatem Feudi, Principi ELECTO-
ri Brandenburgico concessi, dignâ
memoriâ concelebrare. Grata itaq;
cum sit similitudo auribus, cum illa
cœlesti, ingressum ordiamur, siquidem
ad rem non inconveniens ea se nobis
offert. Ex superna enim pietate, po-
testatibus commune quid inferioribus
participari, quis inficietur? Si quan-
do magna IOVIS cum MARTE con-
junctio concurrat, non nisi prospero-
ra & salutaria, hæc Lumina divinis ani-
mata mentibus, super Clymata sibi sub-
jecta, mundiq; plagam, felicissimos re-
rum effectus, Concordiam, tranquilli-
tatem, ubertatem, secum portentare,

experientia edocuit. Nil enim à IO-
VE inferioribus infunditur motib⁹, ni-
si quod ex ipsa benignitate, liberalitate
& clementia originem trahat. Mitigat
MARTIS asperitatem, si hoc cœli Lu-
men, suo cursu, imperioq; demissius, ra-
diorum IOVIS, benignitatisq;, habi-
lem se & capacem præparet, ut per gra-
tam necessitudinis conjunctionem, ceu
complexum, clarius illustretur. Non
secus si LUMINA duo prælustria OR-
BIS, sereno invicem splendore conjun-
gantur, Majus LUMEN minus illustret,
Minus, radios elevatos, decenti occur-
su, desiderabili aspectu sibi applicet, il-
lis se investiat, eorumque nitore ita
illustret, ut illuminantis & illustrati,
utriusq; dignitatem, splendorem, com-
modiq; effectum inde coaugeri, con-
spiciatur. Clarius loquar, memo-
ria dignum.

Ecce

Ecce, magnum ORBIS LUMEN,
MAGNUM SIGISMUNDUM III.
quem Regnorum potentia, MONAR-
CHAM potius orbis, quām REGEM
constituit, ROMANORUM LUMEN
præcipuum, Sacri Romani Imperii Ar-
chicamerarium, & Electorem Brande-
burgicum, multorumque Ducatum
Principem, cum Regibus dignitate, &
potentia æquiparandum, IOANNEM
SIGISMUNDUM, ad Regnum adven-
tantem, Hospitem inquam excipere,
Vix unquam in Regno simile evenit.

Et quod magis, tantus REX,
quem tot Regiæ victoriæ, tot Regia
gesta, indies sereniores illustrant,
tanto humaniorem se demonstrat, &
Regni cum PRINCIPE, Filio, VLA-
DISLAO SIGISMUNDO, comitatu
Regni splendido, tanto REGE digno,
obviam procedit.



Insig-

Insignem hunc Principem ELE-
CTOREM, insigni honore dignum,
REX sapientissimus, deliberato sat a-
nimo, spem præter omnium, Regia ac-
ceptatione attestatur. Siquidem Ro-
manorum olim Imperatorum, Regum
Poloniæ, Prosapiam JAGIELLONI-
CAM, & Brandenburgicam ELECTO-
RALEM familiam, proximo invicem
sanguine illustratam, communi omniū
laude & gloria ab eorum posteris con-
celebratur. Non extrema enim
humanæ felicitatis pars est, vitæ con-
nubii societas, imprimis inter Princi-
pes, unde unitatis nexus, concordiæ
vinculum, & mutui amoris & honoris
origo. Breviter ea in mentem nobis
revocabimus.

Annos ante Sexcentos & decem,
Romanorum Imperator OTTO RUF-
FUS III. Neptim suam RISCHAM,
BOLESLAO primo, Poloniæ REGI
in ma-

in matrimonium desponsavit, & Pater-
no amico, & Imperii Romani socio
nuncupato, Diadema proprium Impe-
riale, capiti BOLESLAI REGIS pri-
mò consecravit. Imperator deinde
Romanorum HINRICUS III. Regem
Poloniæ BOLESLAUM III. affinitate
sibi junxit, & sororem ADCHLEI-
DAM matrimonio copulavit. Simi-
ter VLADISLAUS II. Boleslai Filius,
Imperatoris prædicti Hinrici III. filiam
CHRISTINAM conjugii vinculo sibi
associavit, & amicitiæ, pacisque fœdus,
Rex pater; adjuncto filio, cum domo
Imperiali pepigit. Præterea CA-
ROLUS III. Romanorum Imperator
ELISABETAM NEPTIM CASIMI-
RI II. Magni, Poloniæ Regis, ex sorore
natam, BOGUSLAI Ducis Scicen-
sium filiam, Imperiali sibi conjugio ad-
dixit, & ad nuptias Cracoviæ celebra-
das, Sponsus, comitatu LUDOVICI

C.

Ungariæ.

Ungariæ, PETRO Cypriæ, SIGISMUDO
Daniæ, Regum, & plurimorum Principū
assistentia, solenni pompa ingressus, &
20 adusq; diē, nuptiarū deliciis indulxit.
Propiūs accedem⁹, & prosapiam JAGI-
ELLONICAM illustrabim⁹. ALBER-
tus Romanorum Imperator, filio nostro
CASIMIRO III. Pol. Regi, ELISABE-
tam filiam matrimonio consecravit, ex
qua Nepos noster SIGISMUNDUS i.
vitalem sanguinem imbabit. CASIMI-
rus verò, filiam SOPHIAM, sororem SI-
GIMUNDI i., Marchioni Brandenburg:
FRIDERICO, à Patre ALBERTO
Electore prognatus, qui ACHILLES
Germanic⁹ dictus, in matrimonium elo-
cavit, ex qua ALBERTUS Marchio,
primus Prussiæ Dux, procreatus, qui
unicum filium ALBERTVM FRIDE-
RICVM, Hæredem, & successorē Du-
catus Prussiæ, adhuc in vivis existentē,
reliquit. Plenius adhuc sanguinem
JAGIELLONICVM, cū Domo Bran-

deburgica ELECTORALI, conjunge-
m⁹. Poloniæ Rex SIGISMUND⁹ I. filia
HEDVIGIM, ex Regina BARBARA,
STEPHANI Transilvaniæ Palatini,
Comitis Scepusiensis filia, Ioannis, Vn-
gariæ Regis, sorore, conceptam, JOA-
CHIMO Marchioni Brandenburgico &
ELECTORI, thoro connubiali sanci-
vit, qui ex ea aliquot filiis gaudebat.
Hac profapia adhuc feliciter virente,
SIGISMVNDS quoq; II. AVGU-
ST⁹, cum ELISABETA AVSTRIACA,
FERDINANDI Regis Romanorum
filia, vinculo conjugali cohabitavit.
Sufficerent hæc exempla, verū vnicū
adhuc addem⁹, quod maximū est. Præ-
sens lātissimus testatur dies, quantum
NEPTI honorē, sanguini Romanorum
Imperatoris, FERDINANDI, Archidu-
cis CAROLI Austriaci florentissimæ
Soboli, Magn⁹ REX SIGISMVNDS
III. reverenter habuerit, Serenissimæ
inquam & Sapientissimæ ANNÆ &

& CONSTANTIÆ AUSTRIACÆ,
Sororibus, Reginarum Poloniæ decori,
& Sacra sede Romana , negotiis inter-
cedentibus arduis , sic disponente,
utrisq; CONJUGIBUS, quod inter
Regum & Principum exterorum fami-
liam, hanc digniorem pro Regni hono-
re, alto, consultoq; per octennium de-
inde viduatu intercedente, animo , se-
lectiorem ponderaverit. Quò ante-
cessorum exemplis , per Regii connu-
bii amplexum, pristinam amicitiam,
consanguinitatem & concordiam reno-
varet, & corroboraret. MAJESTAS
REGIA originem, dignitatem, & anti-
quitatē AUSTRIACÆ DOMVS in-
tuebatur, quæ trecentos ab hinc viginti
& novem annos à primo Austriæ Du-
ce ALBERTO, Comite Habsburgen-
si numerabatur, quem Pater RUDOL-
PHVS Imperator omnium Principum
Imperii suffragiis, primò investivit.

Domus

Domus itaq; Austriaca, centum &
quatuor annos, ætate antiquior hono-
ratur à JAGIELLONIS prima Regni
salutatione. Si verò originem familij
JAGIELLONICÆ intueamur, anti-
quitate & dignitate parem trutinamur.
Tanta olim necessitudo, & conjunctio
inter Romanorum Imperatorum, Po-
loniæ REGVM, Electorum & Marchi-
onum, Principum Brandenburgensium,
sanguinem intercessit. Magni ergo
hi, ad Regnum Poloniæ adventantes,
rariq; Hospites, & propinqui ponde-
rantur.

Hæc & similia, SACRA MAJE-
STAS REGIA, alta mente trutinan-
do, inter cætera quoq;, erga Regiam
Majestatem, Prussiæ DVCVM singu-
larem semper observantiam, quemad-
modum etiam eo tempore, cùm Rex
Revalia, ab ultimo REGIS Parentis a-
spectu, discederet, & Prussiam annos

ante viginti tres salutaret, Regio splen-
dore, & honore, decenti liberalitate, &
hospitalitate, à Principe ALBERTO
FRIDERICO, cum omni comitatu ex-
ceptus. Nil ergò alienum à Regali di-
gnitate, majorum exemplo, se facturā,
REGIA MAJESTAS arbitrata, (nil
enim à Regibus temerè agi, cum præ
cæteris altè sapiant, Regia gravitas sua-
det;) si vicisim humanitate, liberalita-
te, & honore, Hospitem tantum exci-
peret. Siquidem Electorum Imperii
adventus, ab ipso Imperatore cohone-
statur.

Phœbo itaq; diei serenitate arri-
dente, REGIA MAJESTAS, quò si-
mul gravibus Comitiorum molestiis
exantlatis, aërem mutando mentem
exhilaret, Procerum Regni, Principum,
Senotorum, Spiritualium, & Seculari-
um Comitatu splendidissimo, Aulico-
rum quoq; caterva præcedentium, e-
quitum

quitum apparatu sumptuosissimo, & preciosissimo, peditum quoq; militum, decem octo vexillorum numero, processit. Qui sex millium ultra in campis conspiciebantur. Ad quem Regium comitatum, longè auctior numerus, millium aliquot accessisset: verùm, Senatorum plurimi præcipuorum, finitis Comitiis solennitatibus, REGIAM MAJESTATEM salutando, ob graviora Regni negotia publica, ad sedem Principatuum suorum se contulerant, cum quibus Aulici gradu inferiores, millium innumeri disparuerunt.

Hos inter equitum ordines, variis generis vestitus, & ornatus, hi Sarmatium, alii Hussaricum, Italicumq; habitum imitati, Persicorum, Tartarorumque Turmis mixtim, inestimabili equorum, eorumque ornatus precio, auro, gemmisque micantium comparuerunt,

Centeni

Centeni verò plūrimi, Equestris ordinis, Pantherarum & Leopardorum exuviis induiti, (quæ animalia velocissima, ferociissimaq; , Hircania, & Media ex Africa apportat preciosa:) ceu ab immanni hoste, ex victoria spolium reportantes, habitu, vultu, armisq; fercibus processere. Simili enim habitu Romani, Imperatorem cum Victoria, hoste debellato, redeuntem pro triumpho introducebant.

Nec iste Leonum, Pantherarumq; habitus, non nisi strenuum Romanum, bellicaque emeritum olim militem decebat. Quemadmodum enim Hercules, virium dexteritate, hæc parta trophya promeruit, & in duello, Leone obviante compresso, detractis exuviis, suoq; corpori annexis, terribili hoc habitu, Leonis spolio, in patriam reversus, primus utebatur. Similiter Herculeos hos imitatores meritò appellā-

pellemus, qui non vestitu, sed virtute,
non terrore, sed dexteritate belli hæc
trophæa acquisiverunt. Tot ergò e-
quitum Turmis præcedentibus, Sena-
tores Regni seculares, cum Regni Mari-
salcis, Scepbris erectis, tantum Regem
antecedunt. Qui splendor, ceu plu-
rimos incedere Reges refulgebat.

SACRA MAJESTAS REGIA
Arcade generosissimo vecta equo, a-
spectu, gressuq; superbo, ornatu Persi-
ci operis, gemmarumq;, & auri elabo-
rati incomparabilis æstimationis, habi-
tu verò, Sarmatum olim Regum con-
sueto, Patrio more indu~~ta~~, veste talari,
Syrio bis murice tincta, ex Lana con-
chiliata contexta, auroq; subducta, Ga-
lero gemmis circumnitente, alba Strut-
onis pluma, Adamantinis micantibus
radiis, tecto, & è vertice surgente,
Regia cum gravitate subsequitur.

VLADISLAUS SIGISMVN-
DUS, Regni Princeps, Regis filius, à
Regis Parentis habitu, & ornatu nil di-
screpans, parvo interstitio relicto, or-
dine solus, similiter eques incedit. Hos
Principes, & Proceres Regni spiritua-
les, Archiepiscopi, & Episcopi, togati
sequuntur. Hunc ordinem innu-
mera equitum caterva, & curruum mul-
titudo claudit. Tali ordine in cam-
pum proceditur, ad Tentorium Regi-
um, quod Persico elaboratum opere
precioso, loco in aprico, erat extensum.
Appropinquat Princeps ELECTOR,
non tam equitum, quam curruum nu-
meroso comitatu, & ornatu, Magna-
tum, & Nobilium Prussiae Marchiarq;
jucunda tubarum harmonia, & tympa-
norum murmure ductus. Sat splen-
didè proceditur, sat splendidè excipi-
tur. Placebat enim REGIÆ MA-
JESTATI, ob insolitam, Comitorum
tempo-

tempore, frequentiam annuere, &
propter loci angustiam, ne nimio
equitum apparatu Princeps ELECTOR
se incommodaret. Pro digni-
tate enim Electorali, ab aula Regia,
honorifice ut exciperetur, antea de-
mandabatur. Regiarum enim litera-
rum invitatoriarum talis erat tenor.

SIGISMUNDUS III. Dei gratia
Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae,
Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae,
Livonieq; &c: nec non Suecorum,
Gottorum, Vandalorumq; hereditari-
us Rex: Illustrissimo Principi, Domino
JOHANNI SIGISMUNDO, Marchi-
oni Brandenburgensi, S. Romani Impe-
rii Archicamerario, & Electori, in
Prussia, Juliæ, Cliviæ, Montium, Ste-
tini Pomeraniæ, Cassubiorum, Vanda-
lorumq; Crostiiæ, Carnoviæq; Duci,
Burggravio Norinbergensi, & Principi

Rugia &c: Cognato, & Affini nostro
charissimo salutem, & prosperos rerum
omnium successus.

Illustrissime Princeps, Cognate, &
Affinis noster Charissime, Quod & Illu-
stritas Vestra diligentissimè à nobis con-
tendit, & Nos pro summa nostra ergà
Illustritatem vestram benevolentia pro-
misimus, assecuti jam sumus, ut in ne-
gotio Illustritatis vestræ, ad authorita-
tem nostram, amplissimiq; Senatus, ali-
orum etiam Ordinum, consensus acce-
deret, Illustritatis vestræ nunc erit, ad
ea acceptanda, Homagiumq; ex con-
ditionibus, præstandum, quàm primum
se nobis sistere; Quod quidem ut quan-
to ocios faciat, neq; ipsa negotiis suis,
in quibus illi tantum sit positum, moræ
impedimentiq; aliquid afferat, eam a-
manter hortamur. Etsi autem dies
Comitiorum exeat, poterit tamen id
legitimè præstare ad diem 13. Novemb.

ad

ad quem Illustratatem vestram invita-
mus, eundemq; illi diem, ad eam rem,
assignamus. Erit adventus Illustri-
tatis vestræ nobis gratissimus. Illu-
stratatem vestram quām optimè valere
cupimus. Datum Warsoviæ, die 5
Novembris 1611. Regnorum nostrorum
Poloniæ 24. Sueciæ 18.

Desideratis his literis visis, acce-
dit ELECTOR, REX obviatur. Pau-
cis enim SACRA MAJESTAS Regia
de Regali suo equitatu mentem osten-
derat. Posteaquam autem in con-
spectum REGIS, ex habitu à longè ali-
quantulum incogniti, PRINCEPS
ELECTOR ab equo, dono à REGE
obviam misso, descendens, accederet,
REX, lentè à suis sublevatus, simul se
demittit, aliquanto procedens, deside-
ratum, magnumq; Hospitem, verbo,
vultu, gestuque Regio, Paterno vero
prorsus affectu, humanissimè excipit.

Nil à Principe ELECTORE prætermissum est, quod REGIÆ MAESTATI imprimis, Principi deinde VLADISLAO SIGISMUNDO, honore, reverentia, & observantia, Senatoribus verò, Regi assistentibus, humanitate, & affabilitate, hilari fronte exhibita, omnimodè non satisfaceret.

Cingitur in medio REX ab utroq; latere, Princeps ELECTOR, ut Hospes, à dextris, Princeps Regni à Parentis sinistra. Deducitur REX, deducitur ELECTOR. Plus splendor admiratur, quàm sermo quòd misceatur. Proceditur. Via deniq;, ex leva ad arcę Varsaviensem declinante, REX humanissima salutatione, in crastinum ad revidendum, in arcem recedit: Filio verò, PRINCIPI VLADISLAO SIGISMUNDO, ad Hospitium ELECTORIS deductionem commiserat. Hospitium verò in amano loco, Jasdo-

væ, penes Vistulam præterlabentem,
sumptibus, apparatuq; Regio demanda-
tum, ac omni provisione ex liberalitate
Regia instructum, non procul ab arce
per suburbium situm erat. Eousque
ELECTOREM Hospitem, filius Regis
deducit, Congratulationibus, blandisq;
salutationibus absolutis, sub noctem
Princeps **VLADISLAUS SIGI-
MUNDUS**, Aulicorum Regiorum,
Electoriumq; comitatu, & caterva
militum Heidonum stipatus, facibus
diem fингentibus, ad arcem Varsaviam
revertitur.

Quis tantæ solennitatis effectus?

A SACRA REGIA MAJESTA-
TE, & Regni Ordinibus, Principis
Marchionis **ALBERTI FRIDERICI**
agri, Gener, Curator, Princeps Elector
Brandenburgicus, Feudum Prussiæ Du-
catus

catus petit, & impetrat. Non
sibi solum, & filiis hæredibus Masculis,
verùm & fratribus Principibus, IOAN-
NI GEORGIO: ERNESTO: CHRI-
STIANO WILHELMO, eorumque
filiis, per ætatem, & successionem majo-
ribus, cum unanimi consensu REGIÆ
MAJESTATIS, & omnium Regni Se-
natorum, Statuum, Ordinum, Nuncio-
rum terrestrium, eorumq; quorum in-
terfuit dicere vota, hoc Feudum con-
fertur. Non secus ac si Principi Ele-
ctori JOACHIMO FRIDERICO in
vivis, filiis, & Nepotibus promissum da-
retur. Magis ex magna erga tantum
Principem Regni affectione, quam an-
tiqui Privilegii quodam successionis
jure. Ad multa secula, & longam
successionem magnæ affectionis indicū
Regni extenditur. Datur hoc Feu-
dum quarta jam vice, Propinquis, A-
vunculis, & Affinibus. Quemad-
modum

modum primum contulerat Feudum
Prussiarum Ducatus, Nepos noster SIGIS-
MUNDUS I. Pronepoti nostro, ex Ne-
pte nato, ALBERTO Marchioni Bran-
deburgico, & Fratribus, GEORGIO,
CASIMIRO, & IOANNI, & in mares
duntaxat liberos, illum principatum
constituerat, die octava Aprilis, annos
ante nonaginta quatuor, Cracoviæ; in
foco publico, ceremoniis, in Regali
Majestate primò tali actu, Comitiorum
Regni tempore, celebratis. Deinde
secundam investituram Pronepos no-
ster, SIGISMUNDUS REX AUGU-
STUS, Abnepoti nostro, ex Nepte san-
guinem ducenti, Principi ALBERTO
FRIDERICO, Marchioni Brandenburgi-
co, anno post obitum parentis, deci-
mum septimum annum agenti, in Comi-
tiis Regni generalibus Lublini celebra-
tis, in Suburbio, suggestu erecto Regali,
decima nona Iulii, annos ante quadra-

ginta duos, cognato suo liberaliter, & honorificè confert. Tertiam Feudi solennitatem, STEPHANUS REX, Affinis noster, Marchioni Brandenburgensi, adnepotī nostro, GEORGIO FRIDERICO, Varsaviæ in Comitiis Regni generalibus, viginti novem ante annos, 17. Februarii, in Suburbio, Cracoviam versus, præsentavit, ut vivente ALBERTO PRINCIPE FRIDERICO, Ducatus Prussiæ curatclam agat, & si fatis cesserit Princeps æger, concessō sibi regimine de futuro uteatur. E vivis prior discessit Curator, hærede destitutus.

Primus interim, Prussiæ Ducatus hæres unicus, ALBERTUS FRIDERICUS, Annorum jam Quinquaginta novem, Magnum huc usque Ducatus totius Asylum, Numine sic imperante coelesti, vita fruitur.

Quartam

Quartam Feudi investituram ELE-
CTOR Brandenburgicus, JOACHI-
MUS FRIDERICUS, Regum Legati-
one splendida intercedente, Jure suc-
cessionis annexo, à SACRA REGIA
MAJESTATE SIGISMUNDO III.
& Regni Ordinibus, sibi concedi, per
Legatos reverenter contendit. Cu-
ratelam autem non ita pridem conces-
sam, spem quoque Feudi promissam,
mors inopina praecidit. Quicquid
ergò à Principe ELECTORE, JOA-
CHIMO FRIDERICO, Comitiorum
tempore, à duodecim jam annis, per
diversos Legatos, in commodum, &
utilitatē Filiorū, & Nepotum, feliciter
captum, vel Regum authoritate inter-
cessoria, vel Nunciorum, & Oratorum
ELECTORIS authoritate petitoria,
cum etiā Ducat⁹ Prussiæ Equestris Or-
dinis Nobiliū, & Civiū subditorū assidu-
is supplicationibus quicquid elaboratū
erat,

erat, (magni enim laboris est, tot Principum capita in unum sensum concordare.) hæc omnia ultimi horum Comitiorum Legati, singulari dexteritate, REGE, & Regno favente, labore, & vigilantia feliciter confecerunt.

Merentur ergo, qui à Serenissimo Principe ELECTORE, JOANNE SIGISMUNDO, ad Comitia legati demandati erant, ut eorum nomina inserantur: Legatus primus Baro Abrahamus & Burgrabius à Dona, Secund⁹ Iohannes Truchses à Wetzhausen, Ducatus Prussiæ Consiliarius, & Capitane⁹ Fischhausen:, qui simul nomine Ordinum Ducatus rem promovebat. Terti⁹ Oratorio munere fungebatur, Ioachimus Hübner, Consiliarius Electoris, & grata eloquentia, & negotiorum experientia celebris. Hi, inquam, famam perennem, & gloriæ, nunquam interituræ, palmam reportarunt. Ita in commodum

modum, & utilitatem filiorum, & Nepotum ELECTORIS JOACHIMI FREDERICI hoc Feudum jam successit.

Hanc quartam ergo Feudi investituram, Serenissimus PRINCEPS ELECTOR, JOANNES SIGISMUNDUS non majorum solum Principum more, verum pro dignitate Electorali, majore cum solennitate, pro conclusione Regni Comitiorum, ex voto sequentibus ceremoniis, reportavit.

Diximus à SACRA R. M. solennem salutationem & acceptationem 15 Novemb: Principi ELECTORI, in adventu, ad futuram Feudi investituram, praestitam. In sequente vero die, quæ erat 16 Novemb. Theatrum & capacitate, & altitudine conveniente, in hunc finem, ad latus Monasterii Bernhardinorum, in Suburbio Cracoviam eundo, sub dio noviter erectum, instruitur, Thronus Regalis, duplo fabricatus

gradu, textura aurea exornatur, eleva-
tur, extenditur, Aulæis circumdatur,
Pannis Coccineis dependentibus,
quos fertilis apportat Britannia, utra-
que latera parietum, totumque pavi-
mentum, omnesq; gradus, ad publicam
usq; viam solenniter vestiuntur, Regia
dein Sella, sub medio Throni, artificio-
se auro elaborata, fistitur. Ad sini-
stram Throni, extra Majestatem, Sella
alia, ad gradum sublimiorem & qualem
locatur. Dum hæc parantur, REX ad
locum, pro nova investitura apparatu,
splendida Senatorum Corona cinctus,
præcedentibus principibus viris, Con-
siliariis, Dignitariis, & Aulicis, Regali
comitatu, Heidonus catervis, Sclope-
tariis, & Vexillis stipatus, ad Diadema
Regium, Regaliaque Regni assumenda,
curru advehitur, Principe VLADIS-
LAO ex latere currus assidente.

Proces-

Processit quoq; ante REGEM Re-
gni Vexillifer, Dn. Szobiesky, qui am-
plissimum, & pulcherrimum, Sericeum
Vexillum, novo Vasallo ex consuetu-
dine donandum, ex albo, & rubeo co-
lore, tribus extremitatibus contextū,
cujus medietas albo colore præluce-
bat, & ex utraq; parte Regni insignib9;
vivis coloribus, & auro, egregio opere
elaboratum, extensum, & erectum Re-
gi præferebat. Palatini verò duo,
Regni Senatores, Principes, familia il-
lustres, & dignitate præcipui, Posnani-
ensis, & Lanciciensis, à SACRA RE-
GIA MAJESTATE deputantur, qui
Principem ELECTOREM Brande-
burgicum, ad hanc Feudi solennitatem
invitarent, & adducerent.

Prædicti Domini Palatini, magno
aulicorum ornatu, & militum Heido-
num thurmis, in occursum PRINCIPIIS
ELECTORIS processerunt, & jam
ad iter

ad iter instructum, splendore, dignitate, Equitatu, Baronum, Nobilium, Capitanorum, Electoralem gravitatem condecentem, verbis REGIÆ MAJESTATIS, PRINCIPEM ELECTOREM salutant, commissa referunt, & medium utroq; latere, Dn. Palat: Posnaniensis, Comes ab Ostrorog, à dextris, Dn. Palat. Lauciensis Czarkowsky, à sinistris, cingunt, & deducunt. Continui interim in excellentia clangores, intonantibus, in Comitatu Electorali, tympanis Heroicis, tubisq; argenteis, vexillis stemmatum provinciarum, arte contextis, dependentib⁹, concentus, strepitusq; inaudiebatur. Posteaquam verò conspectus Principis ELECTORIS ferè apparuerat, SACRA R. M. Regalibus Regni, pro consuetudine Regum Poloniæ, veste sacra alba, quam Dalmaticam nominamus, Chlamide, Chirotecis, Sandalisq; auro, & gemmis
rigen-

rigentibus, induita, Corona gemmis radiante, tempora circumcincta, dextra Sceptro Regali, sinistra pomo aureo, cruce insignito, ornata, REGE cum Majestate gestante, in medio, ab Archiepiscopo Gnieasnensi, Principe, & Regni Primate, Illustrissimo: Reverend: Dn. Alberto Baranoviō, à dextris, & ab Illust:mo Rever:mo Dn. Episcopo Cracoviensi Petro Tilitzky à Içva ductus, ingrediens conspicitur, inq; sedem Regiam collocatur. Princeps verò Regni VLADISLAUS, Italico habitu indutus, inter duos Senatores, ad Sellam, non procul à Rege, seorsim, à dextris collocatam, comitatur. Pracessit quoq; vexillum Regni, & gladius striatus, in introitu ad Theatrum, ab utraque Majestatis Regiæ parte, vexillum à dextris, Ensis à sinistris erigitur.

Hunc egressum Regium, ceu consurgens aurora, Luminis magni ortum

F

præsa-

præfagiendo, Regalis Musica exornat,
(quam' arte parem, haud Regnum in
orbe similem colit.) necnon Tubarum,
Tympanorumq; sonitus, pervices, illu-
strat, & prænunciat. A dextris
enim Theatri, ex æquali altitudine, per
distantiam aliquam, Musicorū chorus,
noviter in hunc finem fabricatus, publi-
co conspectui, & auditui patebat.

Regni Senatores, pro status digni-
tate, quilibet Sellam propriam, ex u-
troq; latere, capiebat. In tali MAJE-
STATE REX adventum Principis E-
LECTORIS aliquantulum præstolaba-
tur. Ante verò, quām ante faciem
REGIÆ MAJESTATIS, Princeps E-
LECTOR ascenderet, Nuncii sex, ex
Baronum, & præcipuæ Nobilitatis
Statu, Viri Magnifici, Nobiles, Lin-
guarum, Doctrinæ, & rerum gerenda-
rum dexteritate selecti, suggestum Re-
gale concidunt, Joannes Truchses à
Wetzhausen, Prussiæ Ducatus Consil:

Capitaneus Fischhausensis: Ioachimus
Hübner, Electoris Confiliarius, antea
prædicti, Otto à Groeben, Capita-
neus in Schaken, Botho Albertus, Baro
ab Eilenburg, Sigismundus Birckhan,
Capitan: Sold: Christoph: à Lendorff,
Confiliarius Brandeb: & Anhaltinus.
Hi, inquam, ante MAJESTATEM
REGIAM, ordine ad primos gradus, ge-
nua inflectendo, ad SACRAM R. M.,
& universum Regni Senatum, nomine
Principis ELECTORIS, & omnium
Ordinum totius Ducatus Prussiæ, Feu-
di investituram, Principi ELECTORI
Brandenburgensi, & Successoribus hære-
dibus concedi, & ad Juramentum fide-
litatis, Regi & Regno præstandum, E-
LECTORI aditum præparando, humili-
mè supplicant. Hæc facunda orati-
one latina, Ioachimus Hübner, quem
medium ordo claspsit, supplex his ver-
bis exponebat.

SERENISSIME REX, ET DOMINE, Domine Clementissime, misit nos Illustrissimus Princeps, Dominus JOANNES SIGISMUNDUS, Marchio Brandenburgicus, S. R. Imperii Archicamerarius, & ELECTOR, qui suppliciter à Majestate vestra petit, ut ad juramentum, Homagiumq; ratione Ducatus in Prussia, præstandum, hic se apud MAJESTATEM VESTRAM si stere, Investituramq; à MAJESTATE VESTRA petere possit.

Inde, cum Senatores ad Sellam Regiam accessissent, collatisq; sententiis, mox recessissent, Ill:^{mus} Re:^{mus} Dn. Episcopus Vladislaviensis, Regni Cancellarius, Laurentius Giembitzky, de consilii sententia, iis, quæ sequuntur verbis, respondit.

Notum est SACRÆ R. M., Domino nostro Clementissimo, summam jam inde à multis retroseculis, Serenissimis Polo-

Poloniæ Regibus, Majoribus suis, ac iis
potissimum, à quibus maternum genus
ducit, cum Illustrissima Domo Brande-
burgica intercessisse necessitudinem,
firmatam, cùm sanguinis communione,
tùm multis, & magnis officiis. Cum igit
tur eadem se teneri intelligat, nunquā
omittendum aliquid putavit, quod
ad suam singularem erga inclytam hanc
Domum, propensionem testificandam
pertineret: itaq; nunc etiam, pro pecu-
culari sua, erga Illustrissimum Principē
Dn. IOANNEM SIGISMUNDUM,
ELECTOREM, de eadem inclyta do-
mo benevolentia, de Amplissimi Con-
siliī sententia, ut ad accipiendam inve-
tituram Ducatus Prussiæ, ad præstan-
dum Homagium, huc veniat: benignè
assentitur.

Annuit REX, annuit Senatus:
Accedit ELECTOR. Medius verò ab
Illust:mis Dn. Palatinis præfatis, tantus

ELECTOR comitatur Eques, Cancellario Electoris, Prussiaeque Ducatus, Nobilitate, rara Eloquentia celebri, Christophoro Rapp, Nunciisque sex praefatis, & Consiliariis aliis Equitibus insequentibus. Ad hunc vero actum, Equus generosus, albis natura cinereis immixtus pilis, Stru^{ti}onis albo & rubeo colore variegatis, in fronte plumis, cum omni apparatu convenienti, Principi ELECTORI, adducitur. Huic insidens Princeps ELECTOR, Aurei, croceivè coloris pallio, & vestitu precioso, auro variegato, accessit. Et à Regni Mariscalcis tribus, per gradus ascendendo, honorificè obviatur, deducitur, & REGI sistitur. Ad Principis ELECTORIS ingressum, Regni Princeps, VLADISLAUS, cum omni Senatu assurgit. Decentibus reverentiis, ter, Regis ad accessum, ab ELECTORE praestitis, Principi, & Senatoribus similiter honorem exhibendo, be-

nignè à REGE, Corona, & Sceptro annuendo, silentio resalutatur. In honorem verò Electoralis dignitatis, multæ Ceremoniæ, ad Feudi investituram pertinentes, antecessoribus Principib⁹ Vasallis consuetæ, hac vice intermittebantur. Ad primos itaq; gradus Princeps ELECTOR se humiliando, à SACRA R. M. Feudum Ducatus Prussiæ sibi, & hæredibus concedi, brevi Oratione ad Regem habita, expetit.

SERENISSIME REX, DOMINE Gratiissime, quod MAJESTAS VESTRA, Quemadmodum per Consiliarios meos petieram, ad Solium suum me admiserit, magnas MAJESTATI Vestræ gratias ago. Quemadmodū verò antea, ita nunc quoq; à MAJESTATE Vestræ, ut de Ducatu in Prussia, terrisq; & Civitatib⁹, Oppidis, & Arcib⁹ eius, benignissimè secundū pacta vetera, & postremā transactionē nostrā, tanquam naturalis
Hæres

Hæreditarius, & supremus, uti omnium terrarum Prussiæ, ita Ducatus quoq; in Prussia Dominus, investire dignetur, supplex peto. Quo nomine, & nunc Homagium, Juramentumque MAJESTATI VESTRÆ, & Regno præstare paratus sum, & in posterum nullum officium prætermittam, quod à bono, fideliq; Principe, Vasallo, præstari debet.

In eandem sententiam Oratores quoq; Principum fratrum, simultaneam investituram petebant. Cum Senatores iterum ad Sellam Regiam accessissent, Cancellarius Regni, sequentibus verbis respondet:

Illusterrissime Princeps, cum Illustritas vestra, ut paulo ante per nuncios, & Consiliarios suos, ita nunc, coram ipsa, à SACRA R. M. Domino nostro Clementissimo, investituram Ducatus in Prussia supplex petat, ac economine Homa-

Homagium præstare paratum, se esse declarat, SACRA R. M. benignè id Illustrati vestræ concedit. Dat autem hoc imprimis vetustæ necessitudini, quæ Serenissimis Regibus Poloniæ, potissimum Jagiellonicæ Stirpis, cum Illust.^{ma} Domo Brandenburgica summa interces- sit: Dat sux propriæ erga Illustritatem Vestram propensioni, & benevolentia: Dat communi Senatus, Ordinumque Regni sui authoritatí, quæ, postremâ transactione, cum Oratoribus Illustritatis vestræ stabilita, eodem Feudi hu- jus beneficio, ornandam censuerunt, itaq; quod non modò Illustritati vestræ, & ipsius inclytæ Posteritati, verùm etiam, SACRÆ. R. M., eiusq; Posteris Poloniæ Regibus, Regnoq; huic, atque adeo universæ Christianæ Reipub: benè & feliciter eveniat, Investituram Duca- tus in Prussiam, juxta pacta vetera, & postremam eius transactionem Illustri-

tati vestræ tradit, hoc Vexillo ex more
confert, ac Illustrissimos etiam fratres
ipsius Germanos, ad eiusdem contactū,
& simultaneæ Investituræ participatio-
nem, benignè admittit. Sperat autem,
planeq; confidit Regia MAJESTAS, Il-
lustritatem vestram, & Illustres fratres
eius, datus operam, ut hanc erga se,
MAJESTATIS REGIÆ beneficentiā,
debitis officiis, prosequantur, deq; Ea,
ac Regno illius, perpetuò benè mereri,
studeant atq; ostendant.

Inde Princeps ELECTOR hastam
Vexilli, quod Vexillifex tenebat, ap-
prehendit, cuius tres extremitates, Le-
gati, simultaneorum Principum, vocati,
Baro Abrahamus Burggrabijs à Dona:
Ioannes Truchses à Wetzhausen: Joa-
chimus Hübner Elect: Conf: vi pleni-
potentiæ, apprehendebant, tamq; diu,
quoad Iuramentum præstitum fuisse,
tenuerunt. Rex autem sequenti-
bus

tibus verbis investitaram contulit
ELECTORI.

NOS SIGISMUNDUS, REX
POLONIAE, tanquam naturalis & su-
premus Dominus totius Prussiae, Du-
catusque in ea, Annuentes precibus
Dilectionis Tuæ, tradimus, & concedi-
mus Dilectioni Tuæ, in Feudum, Ter-
ras, Civitates, Oppida, & Arces, com-
memorati in Prussia Ducatus, & ad eas,
Dilectionem Tuam, per huius Vexilli
traditionem investimus, ac instituimus,
gratia, & benignitate Nostra, quâ Di-
lectionem Tuam, ut consanguineum
Nostrum Charissimum, complecti-
mur, & Illustrem Domum eius, Spe-
ramusque, Dilectionem Tuam, bene-
ficientiæ huius nostræ, memorem sem-
per futuram, gratamque pro ea se ex-
hibitaram.

Liber deinde Evangeliorum, à D.
Referendario Regni Firleio oblatus,
Princepsq; in genua, ante MAJESTA-
TEM REGIAM procumbens, duo-
busq; digitis super librum Evangeliorū
extensis, Dn. Cancellario, in verba ei
præeunte, solenne Juramentum præsti-
tit, Prussiae Ducibus consuetum, In
alterum sublimiorem gradum Throni
ascendens.

His absolutis, parum assurgit ante
SACRAM R. M. Princeps ELECTOR.
Reverentia iterum eodem in loco fa-
cta, gratias agendo, Vexilli concessio-
nem, publicum Feudi signum petit.
Annuit REX. Regni Vexillifer, Dn.
Szobiesky, cum Reverentia Principi
ELECTORI, Vexillum ad manus tra-
dit. Vexillum Princeps ELECTOR
apprehendit, ante MAJESTATEM
procedendo, gratias agendo, elevato
Vexillo subsistit. Porrigitur deinde
Vexil-

Vexillum ex Ducatus Prussiæ Proceribus, Baroni Fabiano Burggravio à Dona, juniori, à tergo assistenti, Qui data trophyæ, erecta tenebat. SACRA R. M., ad Sellam capiendam, quæ à sinistris Throni in hunc finem collocata, Capite & Sceptro annuendo, invitat. Ad Regis nutum, Princeps ascendit ELECTOR, & decentibus reverentiis sedem occupat. In hæc duo splendida orbis lumina, sereno aspectu, & raro assesso sibi conjuncta, universi cætus intenti, aliquam diu tenebantur oculi. Solennitates præterea aliæ, ut etiam Equitum creatio, intermittebantur, propter aëris nubili incommoda, cum sub dio omnia agerentur. Neverò, diuturna silentii morâ, SACRA M. R. cum Senatu in sessione detinerentur, tempore suadente, prim⁹ assurgit Princeps ELECTOR, & decentib⁹ reverentiis, regressum, uti ingressum, exornat.

Deducitur à Regni Mariscalcis, ad ultimum Theatri gradum, Præfati similiter Palatini duo, Regni Senatores, ex utroq; latere eum comitantur, equiteisque ad curiam Archiepiscopi deducunt.

Vexillum verò Regni, ex Feudo reportatum, ante ELECTOREM præfertur. Sequuntur ELECTOREM statim simultaneè investitorum Principum plenipotentes, & alii Consiliarii Prussiæ. Solennem hunc actum, licet spectatorum frequentia stupenda, omnium ordinum, quilibet suæ conditionis oblitus, exornabat: Imprimis verò serenissima REGINA Poloniæ, CONSTANTIA, hæc grata orbis Lumina duo, in MAJESTATE congregati, unà cum Ser:^{ma} Infante Regni Sueciæ, ANNA, intueri non gravabantur. Antea enim, Sala eiusdem Monasterii, à dextris eminentis, in adventum REGINÆ instructa

structa parabatur. Principe ELEI-
CTORE jam descendente, Tubarum
& Tympanorū clangore comitatus, af-
surgit REX, ad Regalia Regni depo-
nenda. Ad Throni igitur cum Senatu
latus ingreditur, & ornamenti exutis,
curru ad arcem cum Principe VLA-
DISLAO, Regali Principum & Auli-
corum comitatu deducitur.

Post REGIS ex Throno disces-
sum, ornatus omnis parietum, ex pan-
nis coccineis transmarinis affixus, ad
rapturam publicam destinatur, trahi-
tur, scinditur, rapitur pro viribus, Re-
gali panno aureo, pro Majestate, cum
peristromatibus expansis, salvis.

Dum solennis hic Feudi actus per-
ageretur, labitur dies, ad vesperam in-
clinat, sub quo Crepusculo, ad Cœnam
Regalem, Princeps ELECTOR, splen-
didè, ex Hospitio Archiepiscopi, quo
in loco diverterat, ad arcem deducitur.

REX

REX tanto Hospiti, ex Mansione
Regia, ad gradus fit obviam, & huma-
niter excipit. Princeps ELECTOR
reverēter in occursum REGIS festinat,
eūq; ad Regalem habitationem deducit.
Post aliquos sermones habitos; Sereñis-
sima Poloniæ Regina, ab Ill:^{ma} Infante
Suctiæ deducta, ingreditur. Quæ gra-
tum, magnumq; Hospitem, pro innata
humanitate, Regiis excepit verbis.
Hanc Principissa, salutatione blanda,
verbis insequitur. Ab ELECTORE
Principe, magnum honorem, magna
REGINÆ convenientem exhibendo,
similiter & INFANTI Sueciæ, huma-
nitate, gestibus, & verborum elegantiis
certatur. His peractis, deducitur
iterum SERENISSIMA REGINA.

Interea temporis Mensa uno gra-
du elevata, media sub expansa Majesta-
te, Auri textura Persici operis preciosissi-
mæ, locata, hospites expectabat, Re-
galis

galis Cæna instruitur. Vasa Regiæ men-
sæ inservientia, non nisi ex auro puro
conflata, & effabré elaborata resulge-
bant. Ad Cænam à quatuor Mari-
salcis Regni, viris Principibus præce-
dentibus, deducitur REX, deducitur
ELECTOR, deducitur Princeps VLA-
DISLAU^s., Similiter brevi in sequen-
do, SERENISSIMA REGINA, Rega-
li ornatu, unà cum PRINCIPISSA, Sue-
tiæ Infante, splendore filia Regis digno,
radianibus undiquaq; gemmis, valore
inæstimabili, numero, & nitore ineffa-
bili, Hispanicum habitum imitatæ, re-
gali Gynecæo comitatæ, Salam, serico
virentem, inserto auro micantem, re-
splendescere ingressum efficiunt. Qui
habitus nitor, formam REGINÆ, for-
mam INFANTIS, per se præstantem,
Illustriorē ita exornabat, ut inter Deas
potius, quàm homines annumerandæ,
apparerent. Expectatos diu, Mensa
Regia

Regia accumbentes excipiunt. In me-
dio REX, à dextris ELECTOR à cor-
dis reflexu sinistro, REGINA REGI
assidet: Accumbit Princeps Regni,
ex parte mensæ solus: Accumbit IN-
FANS Sueciæ, ex adverso REGINÆ.
In cæna enim Regia, aliæ in longum ex-
tensæ tabulæ, Regni Senatores, cum Si-
multaneè investitorum Principum ple-
nipotentibus, Cancellario Ducatus, &
Primatibus Prussiæ Proceribus, exci-
piunt. Similiter, ad alteram tabulam,
REGINÆ Gynecæum, Palatinorum
& Castellanorum Conjuges, & magnæ
nobilitatis virgines, pro dignitate cu-
juslibet ordine collocatæ, Regiis obso-
niis reficiuntur. Indulgetur epulis,
recreantur poculis, & modestioribus,
& hilarioribus. (Non enim RE-
GEM, aliquid, à virtute sobrietatis, &
temperantiæ alienum, dum Regno po-
titur,

titur, unquam commisisse, visum est.)
Ad cænæ Regalis læticiam augendam,
Musica, mira arte, rara inventione edo-
cta, auditu mentem à Regalibus obso-
niis, & ferculorum spectaculis, Archi-
magiri dextra concinnè varia imitan-
do, elaboratis, aliquantis per abstrahere-
bat. Iterum miscentur pocula, Im-
peratoris, & Regum concelebratur me-
moria. Nil nisi auribus gratum, ocu-
lis rarum, palatui jucundum, aspectui
lætum, deliciisque, sensuum objectis,
oblectamentum, experitur. Votis
omnia majora parebant. Nil in
tanta gaudii festivitate, desideraba-
tur, quam Regia, & Principis mens,
curis vacua, (quæ rara est,) ad hanc
læticiam Regalem, simul cum Lyco
imbibendam.

Si horūm Principum cogitationib⁹,
subtili immisceri spiritu nobis daretur,
non aberrasse plurimū existimarem⁹,
quin inter summam hanc lātitiam, va-
ria irrepserint, quæ mentem, per inter-
valla abstractam, tenerent. Nunc ar-
dua Regni gubernatio, jam dulcis Pa-
trii Soli, hæreditarii Sueciæ Regni, re-
cuperatio, vel Regiorum in Moscovia
fideliū, & Smolensci recuperati defēsio,
hostisq; versuti repulsio. Et licet
varia oculorum objecta Principem E-
LECTOREM mirificè recrearint, at-
tamen chara Electoratus Brandenburgi-
ci, Marchia, Principum propagore
licita, Ducatum Iuliæ, armis restitu-
tæ, recta dispositio, Ducatus Prussiæ,
per Feudum hodie acquisitæ, pacata-
& quieta gubernatio, annon versab-
antur animo? Placet: salus enim
populi, salus Principis. Hæc, & si-
milia, lātitiam interpellantia, subitō
harmo-

harmoniæ suavitas intermixta, cœubellicam expugnationem, tubarum strepitus, explosiones, vel arcis Smolenscensis, vel Iuliacensis, tormenta imitantes, interrumpunt, ad hilaritatem provocant, eamq; continuant. Sermo imprimis gratus, & inter Principes asperitus, causam lœticia præbet non postremam. Rarò enim Principes, rarius Reges, sui similem intuentur. (ELECTORES enim Romanos, cum Regibus æquiparari diximus). Regalis huius Cœnæ tractationi, ad aliquot horas protractæ, nocte id suadente, laboresq; diei, post Feudi solennitatem, quietem postulantes, assurgendo, ELECTOR finem imponit.

SACRAM REGIAM MAESTATEM, similiter cum SERENISSIMA REGINA, & Principibus, pro Prandio diei insequentis, ad Hospitium Iasdoviense, quo amoeno in loco,

REX ipse æstuali tempore, si Varsaviæ
subsistere contingat, perseverare soli-
tus, Princeps ELECTOR, reverenter
invitat. Senatores quoq; Regni, Offi-
ciales, & aulam Regiam præcipuam,
cum Reginæ Gynecæo splendido, ad
convivium honorificè vocantur.

Ad invitatoria tanti ELECTORIS,
& instantiam tam grati hospitis, SA-
CRA REGIA MAJESTAS, cum Se-
renissima REGINA, Principe VLA-
DISLAO SIGISMUNDO, Suetiæ Re-
gni INFANTE, Principum Senatorum,
amplissimo, & Aulicorum comitatu
numerossissimo, ad insequentis diei 17
Novemb: curru vecti, hospites se præ-
sentant. Regiis hospitibus appro-
pinquantibus, in occursum Princeps
ELECTOR procedit, cum reverentia
excipit, deducit. Desideratus simili-
ter omnium adventus, dignitate cuius-
libet id postulante, cohonestatur.

Et li-

Et licet ELECTOR, in Prussia, ex
Electoratu Brandenburgico hæredita-
rio, Curator advenerit; attamen ho-
spes; Ad aulam similiter Regiam, licet
Varsaviam proficiscens, hospes erat;
Cui ob temporis angustiam, uti in loco
residentiæ, tantis hospitibus instru-
cta omnia, ostendere non dabatur: At-
tamen, omnia pro Majestate, Regio ap-
paratu, splendore, sumptuoso convi-
vio, spectaculorum, deliciarum, Musi-
corum, Tubicinum, in excellentia
percipiebantur. Quamvis etiam,
magna liberalitas Regia in supplemē-
tum horum accesserit, nihilominus, li-
beralitatem Principis ELECTORIS,
sumptuosa rerum copia attestabatur.
Quo solenni convivio Regali, & Prin-
cipum dignitati, Senatoribus, Magna-
tibus, Nobilibus, omnibus & singulis,
honore, tractatione, muneribus, spe-
ctaculis, læticiis, summoperè satisfactū.

Siqui-

Siquidem à tam benigno Principe,
nil nisi quæ ab humanitate ipsa profici-
sci potuit, liberaliter exhibebatur.
Vespera jam imminente, REGIA MA-
IESTAS, loco se movens, universi ho-
spitum ordines, ad servitia Regia præ-
stanta, assurgunt, Quilibet Regem,
quilibet Principem, & Dominum atten-
dit.

Omnis hilari fronte, laute
excepti, ad S. R. MAIESTATEM de-
ducendam, Equorum & Curruum ap-
paratu se instruunt. REGIAM MA-
IESTATEM, ceremoniis absolutis,
Princeps ELECTOR, ad currum usq;
comitando, Serenissimam simul REGI-
NAM, cum Principibus honorificè de-
ducit. His solennitatibus omni
hilaritate, & tranquillitate, clauditur
dies. REGIA MAIESTAS, ad Ar-
cem, Senatorum, & Aulicorum Regi-
orum, & Electoralium caterva stipa-
tus, procedit.

Inse-

In sequente 18 Novemb. quarta
post adventum die, ad R. MAJESTA-
TEM Princeps ELECTOR Varsaviā
exspatiatur, ut R. MAJESATI perso-
nali aspectu, sermone, & valedictionib⁹,
hoc observantia officium declararet.
Serenissimæq; REGINæ, & Principib⁹,
gratiam animi mentē ostenderet. Quām
accepta, quām jucunda, ultima hæc sa-
lutatio, & conversatio, REGIÆ MA-
JESTATI, Principis ELECTORIS,
fuerit, ex eo satis patet, quod non mu-
tuus saltem valedictionibus, & compre-
cationibus, addictissima mens Regia, ex
animi sententia responderit, verūm de-
nuò etiam, ad Regalem cænam invitan-
do, solenniter eum exceperit. Licet
abstemia REGIA M. ea die, quæ in fe-
riam sextam redemptionis nostræ me-
moriam incidit, devotam, ac sobriam vi-
tam agere, ab ineunte ætate consueta,
Attamen, in honorem ELECTORIS

Principis, rari hospitis, Cæna in Sala
privata Regia instructa, iuvitata quoq;
Serenissima REGINA, præsente Regni
Principe filio, & Illustrissima INFANTE
Sueciæ, hanc ultimam salutationem,
decenti hilaritate, & oblectatione, ad
usq; noctem considendo, concludunt,
atq; ita à desiderato aspectu invicem
discedendo, separantur, & avelluntur.
Solenniter deinde Princeps ELE-
CTOR à Regio Comitatu, tædarum
flammis, vi noctis injuriam propellen-
do superantibus, innumeriſq;, ad hospi-
tium dedueitur.

Abitum parat P. ELECTOR 19.
Novemb: benevolentiaq; Regia magna
comitatur. Quemadmodum enim,
cum Majestate Princeps ELECTOR,
in primo adventu excipiebatur, non
minore pompa in discessu à Serenissi-
mo Principe Regni, VLADISLAO
SIGISMUNDO, Regio splendore, Se-
natorū

natorum, & equitum deducitur, & in viam redeundo, votis, faustisque valedictionibus mutuis, prosperrimisq; à conversatione, quinta post adventum die, mutuo amplexu, uterq; viam ad propria monstrantem ingrediendo, amates disjunguntur. Salvus in Ducatū Prussiæ Princeps ELECTOR, Regiomontem 6 Decemb: ingressus, Nobilium, Equitum, & civium Ordines, armati, splendideq; instructi, patrio Teutonum more, millium plurimorum numero, gratulabundi, cum triumpho obviam procedunt. Arcus triumphales, quælibet Civitas, voluntariis sumptibus, in honorem Regni, & novi Vexilli Regii, Feudi solennitatem præ se ferentis, in honorem REGIÆ MAJ:, Principis quoque ELECTORIS, magni Vasalli Regii, & Regni Poloniæ, viridantibus ramis, auro fulgenti affabré contextos, & Aquilarum variarum ceu involantiū,

Albi, Rubei, Nigriq; coloris, Insignib⁹,
& inscriptionibus Regnum, Regio-
num, Terrarum quoq; Provinciarumq;
Electoralium exornatos: Inter quos
triumphalis Arcensis arcus palmam, in-
ventione, Effigiis, Insignibus, Elogiis,
elegantiisq; verè obtinet, magnifice e-
rexit.

Civitates similiter Regio-
montanæ, trecentos milites, nigro, al-
boq; colore immixto, vestitos, volunta-
rio ære collecto, pro honore, & custodia
Principis ELECTORIS conduxerant,
qui solennem hunc ingressum condeco-
rabant.

Inreditur eques Princeps
ELECTOR, ornatissimum Regni Ve-
xillum, publicum Feudi reportati testi-
monium, solenniter ante Principem E-
LECTOREM, immediate in equo à
Barone, Fabiano Burggrabio à Dona,
juniore præfertur, huic Regio muneri
insequendo ELECTOR, simul cum
hoc trophæo, magnam REGIÆ M. &

Regni affectionem, favorem, & bencvolentiam, universæ verò Provinciæ emeritam pacem, diuturnam tranquillitatē, antiqua jura, privilegia, libertates, consuetudines, omnibus, & singulis, omnia salva, sarta, tecta, gratiōsē ostendens, cum applausu omnium, ad arcis residētiam, Deo gratiis suppliciter actis, gloriōsē deducitur. Congratulationib⁹ ELECTOR, Orationibusq; ab Ordinibus Prussiæ, imprimis verò ab Illustriſimo Principe, Socero, ALBERTO FRIDERICO, Marchione Brandenburgensi, sanguinis nostri Jagiellonici virente adhuc surculo, excipitur. Solenni convivio deinde omnes Ordines excipiuntur & recreantur. Vexillum verò Regni, ad conspectum totius populi, per triduum ex arce expanditur, ut major inde lātitia incolis, & exteris affulgeat, & aliarum terrarum Provinciis, hic Feudi actus & res feliciter gesta, cum laude innotescat.

Magno

Magno etiam Diplomate, Magni
REGIS hunc actum concludemus, &
posteritati summam rei, veritatemque
ostendem⁹, & tenorem privilegii Regii
inferemus.

SIGISMUNDUS III., DEI gra-
tia, Rex Poloniæ, Magnus Dux Litva-
niæ, Russiæ, Prussiæ, Mazoviæ, Samogiti-
æ, Livoniæq; &c. nec non Svecorum,
Gottorum, Vandalorumq; hæreditari⁹.
REX: Significamus præsentibus hisce,
hujus & futuri temporis, universis &
singulis, Cum Illustrissimus Princeps,
JOANNES Sigismundus, eadem gratia,
Marchio Brandenburgensis, S. R. I. Ar-
chicamerari⁹, & Princeps ELECTOR,
in Prussia, Iuliæ, Cliviæ, Montium, Ste-
tini, Pomeraniæ, Cassuborum, Vanda-
lorum, Crosnæ, Carnoviæque in Silesia
Dux, Burggrabi⁹ Norimbergensis, &
Princeps Rugiæ, &c. ex singulari gratia
nostra, conditionibusq; transactionis in-
ter nos

ter nos initæ, ad Feudum Ducatus in
Prussia, Amplissimi Senatus, omniūq;
Ordinum nostrorum, unanimi consen-
su, ac voluntate admissus fuisset, homa-
giumq; & juramentum, die decima sex-
ta mensis hujus Novembris, publicè,
sub dio, in Theatro, ex tempore excita-
to, in persona, Nobis, Regnoq; nostro,
præstitisset: Simul Illustriss: etiam Prin-
cipum, fratrum Illustritatis Eius Ger-
manorum, Ioannis Georgii nimirum,
Ducis in Silesia Iegerndorff. &c. Ernesti,
Ordinis Equitum Ioannitarum, per
Marchiam, Pomeraniam, Vandaliamq;
Magistri, Christiani Wilhelmi, postula-
ti Archiepiscopi Magdeburgensis, O-
ratores, Magnificos nimirum & Gene-
rosos, Abrahamum à Dona, Baronem
& Burggrarium: Ioannem Truchses à
Wetzhausen, Capitaneum Fischhausa-
num. & Joachimum Hübner &c. Ilu:^{tatū}
ipsorum nomine se stitisse: Qui cum,
secun-

secundum mandata, quæ, à commemo-
ratis Illustriss: Principibus, sibi data, ex-
hibuerunt, nomine Principum, ad si-
multaneam Investituram, contactumq;
Vexilli, Principes commemoratos,
admitti, in genua procumbentes, sup-
plices petiissent, & ad homagium, jura-
mentumq;, omnia officia, & obsequia,
quæ à Vasallis Principibus, præstari de-
berent, Principum suorum nomine, se
obtulissent. Nos, de consilio, sententia-
que Senatorum nostrorum, omniumq;
Ordinum nostrorum, unanimi consen-
su, secundum commemoratam transa-
ctionem, ipsiusq; investituræ literas, ad
commemoratam simultaneam investi-
turam, contactumq; Vexilli, in prædi-
ctorum Oratorum persona, benignè Il-
lustritates Eorum, admisimus. Quod,
quò notius, testatiusque omnibus esset,
hasce manu nostra subscriptas, Sigillo-
que Regni nostri munitas, edi illis man-
davi-

davimus. Dat: Varsaviæ, die XVII.
mensis Novemb: Anno MDCXI. Re-
gnorum nostrorum Poloniæ, XXIII.
Sveciæ, XVII.

Quis inter præcipuas res gestas
Regias SIGISMUNDI III. solennissimū
hunc actum non meritò referret? Quis
inter felicissimos ferum gestarum suc-
cessus Electorales, IOANNIS SIGIS-
MUNDI, Ducatus huius Prussiæ Feu-
dum, non annumeraret? Nam, licet na-
tus Imperii Princeps, attamen præci-
puis dignitatibus, Principes inter Ro-
manos, auctus. Cui jure hæreditario
Electoratus Brandenburgicus celsit.
Vnicum addamus, quomodo duo hi
SIGISMUNDI MAGNI, temporum
cursu, & certo seculorum regimine,
inter se conveniant, & colludant.

RES mira, notabile Fatum,
SIGISMUNDUS III, tertium in guber-
natione seculum, à prosapia REGUM

K

JAGIEL

IAGIELLONICA, suo regimine ordi-
tur. Similiter SIGISMUNDUS ELE-
CTOR, secundum Romani Septemvi-
ri gubernationis seculum , pari omne
felici ingreditur.

Quod diximus; demonstrabimus.
Rex IAGIELLO primum in imperio
nostro seculum ponimus , & filiis cum
duobus, Uladislao, & Casimiro integrū
constituimus. Secunda seculi ætas, ad
sex usq; REGUM gubernationem se ex-
tendit, Joannis Alberti , Alexandri , Si-
gismundi I. & S. Augusti II. Hinrici Gal-
li Borboniorum , quam STEPHANUS
REX , sua emigratione in puncto inter-
cludit. Teritaque omne felici , Tertius
SIGISMUNDUS tertium ingreditur
seculum.

Si ad ELECTORIS SIGISMUN-
DI consanguinei , Majores nos conver-
timus, Quatuor Imperii ELECTORES
Marchiones BRANDENBURGICI,
inte-

integrum seculi centenarium circum-
volutant.

Primum orditur seculum IOACHI-
MUS I., imperante huic seculo Ioachi-
mo II., Ioanne Georgio, & Ioachimo
Friderico. Expirat seculum, illucescit
novum. Verè illuxit, lumine illustri,
Mundi plagam coruscantem, attonitam
regimine præpotenti reddit, alterum
ingressus seculum IOANNES SIGIS-
MUNDUS ELECTOR.

Insuper notandum, SIGISMUN-
DUS II. Augustus, Anno millesimo,
quingentesimo, septuagesimo secundo,
Regni Diademate lassus, ad cœlestia
Regna commigrat. Simili hoc anno, ma-
gnus Imperii Romani ELECTOR fu-
turus nascitur. Cœleste portentum,
Ingens Cometa in aëre accensus, magni
Regis occasum, magni Principis ortum,
universo ostendit orbi.

Quæ major accessit dignitas?
In sequente similiter anno, Curatela æ-
gri Principis, & Ducatus Prussiæ guber-
natio, per Regni Senatores Dn. Com-
missarios REGIÆ M. sex, inter quos
Legationis Primas, Ill:^{mus}, Re^{mus} Prin-
ceps, & Dominus, SIMON Rudnický,
Episcopus Varmiensis, Senator Regni
gravis, Regi imprimis charus, & de Re-
publica benè meritus, dextrè omnia
decretis peragendo, (quæ in Comitiis
Regni generalibus, facta relatione à
SACRA R. M., & Senatu confirmata,
& approbata,) facunda Oratione, ma-
gna solennitate in publico, sub Diplo-
mate Regio, Principi ELECTORI con-
fertur. Intervallo unius anni, magnum
Iuliæ Principatum, cum adjunctis sibi
Ducatis Cliviæ, & Montium, felici
MARTIS aspectu, jure, & armis sibi
subegit, Cui jam Ducis Prussiæ titulus,
gubernatio, & realis successio, optimè
quadrat.

Impe-

Imperatoribus, Regibus, & Principibus, fatalem hunc millesimum, DCXI. & sequentis anni initium, meritò enarrabimus: In secunda, & adversa fortuna potentem. Hoc enim tempore, REX SIGISMUNDUS III. ex Moscovia victor revertitur. Monarcha Septentrionalis, Suiscius, cum fratribus, Regi captus sistitur. Ducatus Smolensensis, & Severiensis armis recuperatur. Moscoviæ sedes debellatur. Regni Poloniæ princeps VLADISLAUS SIGISMUNDUS, Moscoviæ Procerum suffragiis, Imperator, & magnus Dux Moscoviæ, summis precibus, instanter supplicando, efflagitatur.

Interea temporis Vilna Litvaniæ metropolis, dum Rex castra Smolenscia obsidet, Regina, Vilnæ, cum Principe VLADISLAO, & Principissa Sueciæ, in arce Regali habitante, incom-

parabili damno Arcis, Civitatis, Mer-
cium, splendidorum ædificiorum, se-
ptem & ultra millium domorum, flam-
ma absumitur. Archidux Austriæ
Matthias, in Regem Bohemiæ corona-
tur. Ferdinandi Archiducis filia, in
Reginam Bohemiæ coronandam, Ar-
chiduci Matthias, Sponsa adducitur.
Rex Daniæ, Carolo, Südermanniæ Prin-
cipi, ac Regno Sueciæ bellum indicit,
armis id prosequitur, & Calmariam ar-
cem per deditioñem occupat. Caro-
lus Sueciæ Princeps, bellis hactenus
gestis renunciat, diem extremum clau-
dendo. Hispaniarum Regina sapien-
tissima, Reginæ Poloniæ Austriacæ
foror, Majestatem secularem, cum cœ-
lesti Regno devotè commutat.

Concludit fatalem hunc annum
feliciori omine Princeps ELECTOR
Brandenburgicus, Regno Poloniæ fide-
lem se amicum obstringit, & Feudum
Prussiæ

Prussiæ, cum gloria reportat. Varii
præterea motus, & bella, inter Principes
& exterios Imperii, quæ tristia multorū
fata testantur. A multis seculis an-
num fatalem tam ardua operantem si-
milem quis conseret?

Si initium sequentis Anni intuea-
mur, Ecce, Arbor magnorum Principū
graviter conquassatur, ROMANO-
RUM caput, IMPERATOR, magnus
Princeps RUDOLPHUS, Imperii gu-
bernationem, Fratri, quasi Archiduci
MATTHIÆ annuendo committere,
Diademi Imperiali, à plurimis jam an-
nis gestato valedicit, naturæq; debitum
solvit.

Hispaniarum Reginam, REGINA
Danicæ, Serenissimi Principis ELE-
CTORIS Brandenburgici soror, Regiis
virtutibus & naturæ dotibus prælustris,
brevi tempore, itineris vestigia mortalis
sequendo, comitatur.

Prin-

Princeps ELECTOR COLO-
NIENSIS, ad hōrum Principū cō-
lestē conversationē, maximi RE-
GIS nutu, simili mortalium tramite,
transmittitur. Quis Fati Legem supter-
fugiet? Nova Romanōrum Im-
peratoris electio, Francoforti ad Me-
niūm, 5. mensibus absolutis, post o-
bitum Rudolphi Imperatoris subsecu-
ta: posteaquam annos triginta sex mā-
gnis victoriis clarus Imperio p̄fuisset.
Designatus enim Romanorum Impera-
tor RUDOLPHUS II. Anno millesi-
mo quingentesimo septuagesimo sexto,
in conventū Ratisbonensi. Quæ nova
Imperatoris Rom: electio, ut totū Chri-
stianitati, victoriis, emolumentisq; uni-
versæ Reipub: accrescat, aspiret votis
Electorum gratia Numinis.

Ecce, SACRA MAJESTAS,
REGIA Varsaviā denuò felici omine
Mense Majo, iter ingreditur, & Mo-
scoviam

scoviam versus, numeroſo, ſelectoque
veterano milite, cœptum continuat
bellum. REGIA mens ardua vin-
cet. Vivat REX, Vivat ELECTOR.

Quemadmodum, Regia ſolenni-
tate, Investitura FEUDI peracta: Du-
cat⁹ ſimiliter intromiſſionem in Pruſſi-
am, S. M. REGIA, magna decernit ſo-
lennitate, & Regni Senatores graves,
ampliſſimosq;, Comiſſarios ſuos, de
REGE & Regno benemeritos, Regio-
montem ablegat. Inter quos primo
loco à REGE nominabatur, Illust:^{mus},
Rev:^{mus} Princeps, & Dominus, SIMON
RUDNICKY, Epifcopus Varmiensis,
qui ante triennium curatelam Principi
ELECTORI contulerat. Is enim,
ex antiquiſſima Comitum de BECHS-
ZIZE familia, trecentos ultra annos,
Proſapiam numerat. Felici
omine Fata disposuerunt. Nafcitur
codem

L

codem anno, quinquagesimo tertio,
Princeps Prussiæ ALBERTUS Frideri-
cus, & Regius Commissarius prænomi-
natus, hic in Vere, ille in Autumno.
Verno enim tempore, in flore ætatis, de-
cimo septimo anno, Feudi investitura
ornatus, aureum PRUSSIÆ florem,
PACEM, vitæ radices, DEO rigante,
hucusque produxit.

Autumnales

verò fructus, licet seros, attamen dul-
ces, tempore maturos, successori Prin-
cipi ELECTORI, idem hic Dn. Com-
missarius, REGIA offert autoritate.

Perpendamus: Quid REGIA gratia, &
affectione benignius? Quid reconcili-
atis Ordinum animis suavius? Quid
curatela Ducatus Prussiæ expectatius?
Quid Feudo, quid possessione plenâ, &
intromissione datâ liberalius? In hoc
quoq; Prussiæ Feudo, in Comitiis ge-
neralibus deferendo, ad Regni salutem,
pacem publicam, tranquillamque vi-
cini-

cinitatem conservandam, munere se-
natoris optimi fungebatur. Secundus
in ordine Commissarius, III: ^{mis} Domini
STANISLAUS DZIALLIENSKY,
Palatinus Marieburgensis. Tertius,
Illustris & Magn: Dn. WENCESLAUS
KIELZEWSKY, Castellanus Bie-
chowsky. Quartus, Mag: ^{cus} & Gen: ^{sus}
Dn. REINHOLDUS HEIDEN-
STEIN, Solescius, Secretarius Regi-
us, quorum dexteritas & fides, mul-
tis REGI probata Legationibus.

Hos adventantes, Sereniss: Princeps
ELECTOR, splendido aulicorum co-
mitatu, & apparatu, tubarum, & tym-
panorum clangore honorifice obvian-
do, humaniter excipit, introducit,
magnumque honorem, memor REGIæ
in aula sibi dignitatis collatæ, Perso-
nam REGIS gerentibus, vicissim ex-
hibet. Qui commissa Regiæ Maj:

fide, vigilantia & labore prius expedita
reddiderunt, Deinde ex voluntate SA-
CRÆ R. M. Principi ELECTORI Du-
catus Prussiæ plenam possessionis pote-
statem, Juramentis prius ab Ordinibus
statibusq; S. R. M., juxta Regni pacta,
Sereniss: quoq; P. Electori præstitis, cō-
veniente solennitate, in publico Thea-
tro, hoc fine in area Arcis sub dio ere-
cto, Mense Majo die 2 ~~z~~ Anni MDCXII.
conferunt.

Quæ omnia Legationis
Primas cōmemoratus Ill:^{mus} Re:^{mus} Dn.
Episcopus Varmien: gravi sermone ha-
bito, autoritate S.R.M^{ts} Diploma Re-
gium publicando, & Sereniss: P. Elec-
tori conferendo, feliciter expedivit.

Quib⁹ absolutis, Regio deinde con-
vivio splēdidissimè excepti, & varii ge-
neris spectaculis, elegantiisq; recreati,
inter reliqua mira machina, pyrio
pulvere, navis instructa, magnis sumptu-
b⁹, præclara industria elaborata, in pub-
licum introducta, quæ Vespertino tem-

pore igne arte immisso, multis mille
vicibus mira inventione explodebat.
Ita solenniter Investituram cum intro-
missione concludunt. Quod Regno Po-
loniæ & Ducatui Prussiæ, eorumq; inco-
lis feliciter eveniat.

De tantis ergò Principibus, & E-
LECTORE Vafallo, MAJ: REGIA,
SIGISMUNDUS III, cum universo Re-
gno, magna quæq; sibi quòd pollicean-
tur, meritò habebunt. Hoc necessitu-
dinis & Amicitiæ vinculum, per sangu-
nis conjunctionem cum Imperatorum,
& JAGIELlonica familia, similiter cum
Domo Brandenburgica, antiquitùs ini-
tum, ut imposterum etiam, ad Regni
splendorem, & concordiam accedat, S.
R. MAJ: verò, imprimis ut sit glorio-
sum, ac Regii nominis & familiæ, famá
æternū, Æterni numinis virtus cœlit⁹
operetur. Sic antiqua Sedes, Domus
BRANDEBURGICÆ, cum incremen-
to Prussiæ, Posteritati stabilietur,

IN VEXILLVM FEVDI
Aquiliferum.

JAGIELLO VLADISLAUS.

JAGIELLONICAM REGUM, Prin-
cipumq; Prosapiam nostram, AQVI-
LARUM vexillis insignitam, in quan-
tum Potentia, Dignitate, & Victoriis,
exteris Regionibus, & populis, immor-
tali famâ innotescendo, Eüro velocior
AQVILA, sublimis evexerit alis, præ-
claræ res Principum gestæ loquuntur.

Optimè enim duo hæc cognata
Aquila rum genera, IOVIS Alba Pygar-
gi, MARTIS nigerrima Morphni, splen-
dore invicem, atq; colore conjungun-
tur; Quæ insignia Aquilarum, similiter
Leonus, Draconum, Gryphonum,
magnanimos hostium diversarum gen-
tium debellatores, armis unitarum, de-
notant. Nam, belligeris Ro-
mulidum Copiis, MARIUS. in secun-
da

da Consulatus dignitate, primus hæc
AQVILARUM signa dicavit, Princi-
pesq; Aquiliferos illustravit.

Simili authoritate nostra RE-
GIA Posteritati REGIÆ JAGIEL-
LONICÆ, & Principi ELECTORI,
hæc triumphi Aquilarum Vexilla, per
manus tradimus. Hi gloria crescent,
Nos verò NEPOTIBUS, Victoriis, Fa-
mâ, vitaq; cedimus. Succumbent Dra-
cones. AQVILA VINCET.
EUROPÆA.

Benigno Lectori S.

SOLennissimum hoc Prussiæ Fendum, à S. R. Maje-
state Sereniss: Principi Electori liberaliter collatum,
Intrmissionis quoq;, & possessionis data ceremoniis ad-
iunctis, in persona Jagiellonis Regia, quod introduxerim,
Latii sermonis Principem, aliaq; ingenia excellentia
eum secuta, me imitatum, benigno Lectori non disibili-
ceat. Is enim Magnum Africæ Domitorem & vi-
etorem, vivo ceu colloquio, grata quadam elegantia,
Lectorem excitare cupiens, meditabatur. Siquidem
major

major fides adhiberi censetur, qua inter Principes tractantur, & Regum exemplis illustrantur. In hoc similiter opusculo, qua recensentur, omni dubio carere, certò sibi persuadeat. Nonnulla hactenus, vario idiomate, typis, ad manus pervenerunt, sed imperfecta, ac incerta. Qua, benigne Lector, intuenda offero, ex certa scientia, & diligentia, in Comitiis Regni generalibus praesens adnotavi. Hac tuo cum favore perlunga,
S. R. Majestati, & Sereniss: Principi Ele-
ctori, prosperos successus mecum precare,
& ipse feliciter vale.



